

,, clesie Alexandrinae reddita est, magna Jacobitarum læ-
 ,, titia, quod Patriarcham suum reducem viderent, &
 ,, quo pacifice Ecclesiam gubernatum iri sperabant. Ju-
 ,, lianus tamen, Theodorus, & alii hæretici a perveracia
 ,, sua rebellioneque non recesserunt. Gajanus in subjectio-
 ,, ne permansit. Theodosius Sedi suæ restitutus, scripsit
 ,, ad Justinianum & Theodoram literas, gratias agens
 ,, de restitutione sua. Pergit historicus Ægyptius nar-
 ,,rans, Theodosium Constantinopolim jussu Justiniani abdu-
 ,, ctum, ibique in exilio decessisse, eo quod Synodum Chal-
 ,, cedonensem admittere detrectasset: Id quod & Græci
 ,, scriptores tradunt de Theodosio. Verum quod supra de
 ,, Gajani ordinatione, duobus mensibus post Theodosii or-
 ,, dinationem facta dicitur, plane falsum est: constat enim
 ,, ex Liberato, qui tunc in vivis erat, eadem die, & Ga-
 ,, janum & Theodosium fuisse ordinatos. ,, Defuncto Ti-
 ,, motheo (*inquit cap. 20.*) Alexandrino Episcopo, stu-
 ,, dio & permissione Calotychii Cubicularii partis Theo-
 ,, doræ Augustæ, Theodosius ordinatur. Qui licet ha-
 ,, beret Cleri decretum, contradicere volentibus non
 ,, permisit certamen populi. Monachorum quos non ha-
 ,, buit, pro Gajano fuerunt. Consuetudo quidem est Ale-
 ,, xandriæ, illum qui defuncto succedit, excubias super
 ,, defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus ca-
 ,, pitum suo imponere, & sepulto manibus suis, accipere
 ,, collo suo Beati Marci Pallium, & tunc legitime sede-
 ,, re. Dum hæc Theodosius pertentat, cognoverunt po-
 ,, puli & Monasteria quid esset factum vespere in Epi-
 ,, scopio, studio Calotychii, & judicum, idest Aristoteli
 ,, machi Ducis, & Dioscori Augustalis. Mox Theodo-
 ,, sium persequenti sunt, & expulerunt, ne colligeret funus
 ,, Timothei. Inthronizaverunt autem Gajanum, qui fuit
 ,, tunc Archiepiscopus ex parte assertorum Incorruptibili-
 ,, tatis. Habens autem consentaneos aliquantos ex Cle-
 ,, ro, & possessores Civitatis, & corporatos, & milites,
 ,, permansit Gajanus in Episcopatu dies centum tres.
 ,, Post hæc a Judicibus pulsus abscessit. Et post menses
 ,, duos, Narses Cubicularius missus ab Augusta Theodo-